




St. ...



1. Aug. Varenij diff. de religione tutissima. 1656.
 2. petri Malberg diff. de veritate Christianismi. 1706.
 3. Bernh. v. Linden diff. de norma controversiarum fidei. 1709.
 4. Sam. Schelguij diff. de haereticis fugiendis. 1689.
 5. Henr. Lysij programma. 1725.
 6. eisdem diff. de oppositae 1725.
 7. God. Weyeri diff. de ambitu theologiae 1708.
 8. Christoph. Langhaus animadversiones in anonymi theologiae astronomicae Systema. 1718.
 9. God. Deutch diff. de natura theologiae moralis. 1708.
 10. Wilt. Luteri explicatio dicti Exeoh. 1637.
- xiv. v. ad ...
protes.
Articulus

11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27

75
45
DE DEO,
VNO ESSENTIA,
TRINO PERSONIS.

CONTRA
ANTITRINITARIOS
PROPOSITIONES.

D. IOHAN: WIGANDI.

De quibus Deo dante, disputabitur in
Academia Regiomontana vndeci-
mo die Februarij, Anno
Domini 1575.

REGIOMONTI BORUSSIAE
typis heredum Ioannis Daubmanni.

DEO
VNO ESSENTIA

TRINO PERSONIS

COMPAR

ANALYTICARUM
PROPOSITIONUM

JOHANNES WIGANDI

De quibuslibet duobus in quibuslibet

quatuor terminis quatuor terminis

quatuor terminis quatuor terminis

quatuor terminis quatuor terminis

DE QUO QUOQUE

DE DEO, VNO ESSENTIA, TRINO PERSONIS.

MOSEs antiquissimus scriptor, qui in mundo ex-
stat, luculenter commemorat, homines ad Imagi-
nem Dei initiò esse conditos, Gene: 1. Ergo fultit in eis
illustris Dei cognitio, iuxta quam verum Deum adora-
re atq; colere, & debuissent & potuissent.

2. Sed lugubri lapsu in paradiso commisso, iactura
præstantissimarum rerum facta est, & subsequutæ sunt
horredæ tenebræ in hominibus, id quod ista tristis vox
designat, Adam & Euam post peccatum cognouisse,
NVDOS sese esse. Gene. 3.

3. Lex tamen Dei æterna & immota est, nec perit,
licet homines contra Dei voluntatem & præceptum, in
peccata & calamitates ingentes, propria temeritate &
petulantia ruant seseq; immergant. Est enim æterna
Dei sapientia.

4. Eamq; ob causam Deus in monte Synai, admiranda
Maiestate claraq; voce Decalogum repetit, atq; in pri-
mam aciem summo nimirum loco, hoc edictum posuit:
Non habebis Deos alienos.

5. Ostendit igitur, sese adhuc post lapsum, ab homini-
bus omnium maximè requirere, vt veram veri Creato-
ris & conseruatoris sui Notitiam habeant, eumq; super
omnia timeant & diligant, Exo: 20.

6. Nō igitur est temeritas, nec est Adiphoron, veram
veri Dei cognitionem diligenter inquirere & addiscere,
sed est mandatum diuinum.

A 2

Ac sanè

7. Ac sanè nemo non animaduertit, notitia Dei veri nihil esse excellentius, nihil præclarior, nihil salutarior.

8. Nam sine certa Dei notitia, nulla vera pietas existit. Non potest fieri inuocatio in necessitatibus. Nulla firma in tentationibus potest adhiberi consolatio. Denic̄ nulla salus cuiquam extra veri Dei cognitionem contingit.

9. Non gloriatur, inquit Ieremias, sapiens in sapientia sua, & non gloriatur fortis in fortitudine sua, & non gloriatur diues in diuitijs suis. Sed in hoc gloriatur, qui gloriatur, **SCIRE & NOSSE** me, cap. 9.

10. Vnde igitur iam illa vera & certa Dei omnipotentis notitia petenda sit, ita vt mens humana sine omni dubitatione ei possit acquiescere, non parua quaestio est.

11. Esse Deum, & esse vindicem scelerum, ac iustitiae remuneratorem, minus quidem apud gentes ambigitur, licet & **DEI** & Cyclopes, contra propriae conscientiae stimulos, contra ornatissimum totius mundi opificium, & alia innumera praesentiae & gubernationis diuinæ testimonia, mentibus fluctuent. Sed quis sit ille Deus Essentia, & qualis sit eius voluntas Euangelica erga miseros peccatores, nulla luce naturali post lapsum reliqua, nulla sagacitate aut ratiocinatione, ingenij humani inuestigari potest.

12. Nota est vox Simonidis viri sapientissimi, qui Hieroni Siculo tyranno, sciscitanti quid sit Deus, post longam meditationem, tandem respondit, se quo diutius **COGITARET**, eo minus inuenire.

13. Cicero inter gentes non imperitissimus, ex Philosophorum scriptis sententias de Deo varias accuratè & solerter recensens, ac tandem nihil inueniens, quo posset niti, in hanc miserabilem ac planè desperationis plenam
sententiam

sententiam delabitur: Cogimur inquit, **DISSENSI-**
ONE sapientum, nostrum creatorem ignorare. Hæc
scilicet sunt horrendæ illæ tenebræ, lapsum humanum
subsecutæ.

14. S. Paulus inquit, gentes euanuisse in suis cogitatio-
nibus, licet scirent esse Deum, & virtute sempiterna
præditum, & quidem tam horribiliter euanuisse, vt crea-
turas pro Dñs haberent ac venerarentur, Ro: 1.

15. Inde est, quòd omnes gentes extra Ecclesiam Dei,
sint Idololatræ, quantacunq; sapientia præstent.

16. Et quanta portenta Deorum & cultuum diuino-
rum finxerint, ethnicorum libri & monumenta satis
testantur.

17. Præclara autem vox Davidis est, ex certitudine
mentis renatæ animosè resonans: Notus in Iudæa Deus,
hoc est, ibi extat vera veri Dei cognitio, vbi extat do-
ctrina diuinitus patefacta. Erat autem eo tempore po-
pulus Iudaicus custos sacræ doctrinæ, eamq; inprimis
coram toto mundo profitebatur.

18. Ergo sacræ literæ sunt fons certæ & claræ Dei no-
titiæ, quantam scilicet Deus voluit hominibus in hoc
mundo patefacere: Nec Deus ille alius est, quàm sese in
suo verbo patefecit.

19. Continent enim sacræ literæ non opiniones huma-
nas, sed dictata, ab ipso Deo, tum immediatè tum medi-
atè prolata.

20. Et continent tantas, hoc est, tam magnificas & il-
lustres reuelationes veri Dei, summis miraculis confir-
matas, quantas nulla alia gens extra Dei Ecclesiam, in
toto hoc mundo uspiam habuit, aut habitura est unquã,
Deut: 4.

21. Qui igitur extra & contra Dei verbum, aliquid de
Deo

Deo comminiscuntur aut proferunt, sine omni dubitatione in tetro errore versantur.

22. Amplectimur autem post sacras literas, illa insignia symbola, in quibus doctrina de Deo rectè & dextrè est comprehensa & tradita, nempe Apostolicum, Nicenum & Athanasij, quæ quidem symbola, Ecclesia Christi semper meritò maximi fecit & facit.

23. In præsentia igitur tantùm ex verbo Dei, & illis symbolis & perpetua confessione Ecclesiæ Dei, breuem de Deo summam repetemus, & pleracq; dirigemus contra novos præstigiatores, veterem Arianorum hæresin resuscitantes, qui Seruetiani ab autore, Antitrinitarij uerò à doctrina blasphema nominantur.

34. Non autem subtilitates omnes, quas vel scholastici doctores in Papatu, vel hæretici gignunt, sectabimur, sed planè ac simpliciter, etiã propter rudiores, de rebus grauissimis differemus, quantum quidem ipse clementissimus Deus pro sua benignitate dederit.

25. Ex verbo autem Dei, eiusmodi descriptio Dei colligitur.

26. Deus est Essentia spiritualis, æterna, infinita, immensæ sapientiæ & potentiæ, iusta, misericors, liberrima, Pater, Filius et Spiritus sanctus, Vnus Deus Essentia, trinus personis, conditor & conseruator totius mûdi & omnium creaturarum, colligens sibi certo verbo in genere humano omnibus ætatibus Ecclesiam, eamq; sanctificans, vt hic Deus tum in hac, tum in altera vita, ab ea cognoscatur & celebretur.

27. Istius descriptionis summa, hoc Christi dicto comprehenditur: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in NOMINE Patris, & Filij & Spiritus sancti. Matt: 28.

Nunc

28. Nunc explicationis gratia, de vnitate Dei, decem
tribus personis dicemus,

DE VNITATE DEI.

29. Vnicus duntaxat est Deus, non plures, conditor
& conseruator omnium rerum, pro sua diuina uoluntate.

30. Id verò certum est, primum ex veteri Testamento.
Nam Deus ex cœlo hanc uocem profert, suoq; digito
lapideis tabulis inscribit: Non habebis Deos alienos
coram me. Et Deut: 6. inquit Moses: Audi Israel, Do-
minus Deus tuus, Deus vnus est. Esa: 44. Vox Dei
refertur: Ego sum primus & nouissimus, & præter me
non est Deus.

31. Deinde ex nouo Testamento, ut Marci 12. Vnus
est Deus, & non est alius præter eum, 1. Cor: 8. Nullus
est alius Deus, nisi vnus, Gal: 1. Deus vnus est.

32. Tertiò, ex confessionibus Ecclesiæ Dei rectè sen-
tientis omnibus ætatibus. Vnicum enim tantum Deum,
omnes sancti agnouerunt, inuocarunt, celebrarunt, &
professi sunt, id quod historia rerum sacrarum perspi-
cuè & palàm docet.

33. Vnica igitur tantum est ESSENTIA diuina,
non plures, quia vnicus duntaxat est Deus.

34. Nec est vox Essentiæ, aliena à sacris literis, quia
Iehoua nomen est veri & vnici Dei, & appellatio inde
facta est, quia EST, hoc est, reuera existit, estq; ES-
SENTIA uiua, intelligens, omnipotens.

35. Nec est FIGMENTVM mentium humanarum,
qualia sunt apud gentes Numina quam plurima: ut,
Fortuna, Minerua, Gratia, Musæ, Ceres, Bacchus, &c.
Ac Mosi

36. Ac Mofi Nomen Dei percōtanti, hoc respondi datur: Ego SVM, qui sum, vt veteres ac recentes aliqui sunt interpretati, quantumuis recentiores nonnulli Futurum expriment: Ero qui ero. In hisce autem verbis, Essentiam suam declarat Deus. Exo: 3:

37. Verba legis suæ tali magnificentia orditur Deus: Ego SVM Dominus Deus tuus. Ergo Deus est, seu est **ESSENTIA** quædam.

38. In hoc itaq; articulo, **ESSENTIA** dicitur natura diuina, communis tribus personis, & tota in singulis, id quod ex sequentibus magis patebit.

39. Meritò igitur gentilium pluralitas Deorum, ab Ecclesia Dei sancta est reprehensa & exterminata.

40. Iustè & Valentiniani, prodigiosam Deorum multitudinem comminiscens, et Manichæi duo principia, seu duos Deos pariter coæternos fingentes, quorum alter vt bonus, bonorum sit autor, alter verò vt malus, malorum, refutati & explosi sunt.

41. Nec approbamus Pontificiorum Idolomanian, qui innumeros Diuos, more prorsus ethnico canonisat, eisq; virtutes & honores, soli Deo omnipotenti competentes, adscribunt.

42. Attributiona porrò huius vnici Dei sunt, quòd est æternus, immensus, omniscius, omnipotens, iustissimus, liberrimus, Omnia pro sua voluntate agens in cœlo & in terra etc. Psal: 115.

43. Estq; hic **VNICVS** Deus, **SUFFICIENS** ad omnia pro suo beneplacito efficienda Gen: 17.

DE TRIBVS PERSONIS

illius vnice Essentiæ diuinæ,

Ille

44. Ille autem VNICVS Deus, trinus est personis,
nec sunt plures personæ Trinitatis, quam tres.

45. Persona autem hîc dicitur, substantia indiuidua,
intelligens, incommunicabilis, non sustentata ab alio.

46. Græci ἰϋωσάσας & τὰ ἰϋψάϋδια vocarūt, & Latinos
imitati, etiam tria esse πρὸσωπα dixerunt.

47. Ac obseruandum est, qua significatione Ecclesiæ
Dei doctores, qui contra hæreticos fideliter, prudenter,
& solerter pugnarunt, istis vocabulis vsi sint.

48. οὐσία, Essentia autem, pro Natura diuina plerunq̃
vsurpatur, quæ vna est, & est communis tribus perso-
nis. ἰϋώσας verò pro persona. Ac sunt quædam veter-
rum locutiones in vsurpatione istorum vocabulorum
prudenter accipiendæ.

49. Sunt autem tres illæ personæ diuinitatis, Pater,
Filius, & Spiritus sanctus.

50. Certitudo eius rei, patet ex sacrae Scripturæ testi-
monijs, vt Matth: 28. Baptisantes eos in nomine Pa-
tris, & Filij & Spiritus sancti. Hîc tres personæ distin-
ctis appellationibus proferuntur.

51. Et procul dubio, hic etiam vnus finis & quidem
non postremus est notitiæ Numerorum in hominibus,
vt sciamus, tres esse personas diuinitatis. Nam homines
sunt ad Notitiam Dei creati. Ad Notitiam autem vnici
& veri Dei pertinet, vt sciamus & credamus, tres esse
personas diuinitatis, & hunc Deum tali pacto inuoca-
mus & ueneremur, ac discernamus eum ab omnibus
creaturis & commenticij Numinibus.

52. 1. Ioh: 5. dicitur: Tres sunt qui testimonium per-
hibent in celo, Pater, Logos, & Spiritus sanctus, & hi
tres vnum sunt. Tres disertè enumerantur, & quidem
illis ipsis appellationibus, quæ alibi quoq̃ in sacris lites-
ris eis tribuuntur.

B.

Ioh.

53. Ioh:15. Cùm uenerit Paracletus, quem ego mit-
tam à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit,
ille testimonium perhibebit de me. Hic tres distinctæ
personæ exprimentur, Pater nimirum, à quo mittitur
Spiritus sanctus. Filius mittens Spiritum sanctum, &
Spiritus sanctus mittendus. Idem Ioh:14. docetur.

54. 2. Cor:14. Gratia Domini nostri Iesu Christi &
charitas Dei & communicatio sancti Spiritus, sit cum
omnibus nobis. Hic Dei ut Patris, & Christi Iehouæ,
& sancti Spiritus mentio fit.

55. Galat:4. Misit Deus Spiritum Filij sui in corda
uestra, clamantem Abba pater. Hoc loco Deus, Filius
& Spiritus, tanquam tres personæ diuinitatis distinctè
recitantur. Sed plura testimonia, in quibus tres personæ
recensentur, in præsentia non commemorabo.

56. Interdum autem in sacris literis, & duæ personæ
discernuntur, vel vnus ita fit mentio, ut aliquæ eius
proprietas adñciantur, quibus à reliquis personis dis-
cernatur, ut Ioh:1. λόγος erat apud Deum. Item, Vni-
genitus à Patre. Ergo λόγος & Pater, sunt distinctæ
personæ. Ioh:3. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium
suum unigenitum daret. Pater autem non semetipsum
dedit mundo, sed Filium. Imò, quia unigenitus est Dei
Filius, ideo distincta persona est à Patre, Ioh:5. Pater
meus usq; modò operatur, & ego operor. Item, Sicut
Pater suscitatur mortuos & uiuificat: Sic & Filius quos
uult, uiuificat, Iohan:8. In lege uestra scriptum est,
DVORVM hominum testimonium uerum est. Ego
sum qui testimonium perhibeo de meipso, & testimo-
nium perhibet de me, qui misit me Pater. Præcedunt
& hæc uerba. SOLVS non sum, sed Ego, & qui
misit me Pater. Ioh:5. ALIUS est qui testimonium
perhibet

perhibet de me. Ergo Pater est Alius, & Filius est Alius, id est, distinctæ sunt personæ, &c.

57. De Logo dicitur, quòd caro factus sit, qua de re suo loco plura.

58. De Spiritu sancto dicitur: Spiritus sanctus arguet mundum de peccato. Ioh: 16. I. Cor: 3. Templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis.

59. Deinde hæc doctrina, de tribus distinctis personis diuinitatis, ex reuelationibus diuinis manifesta est. Nam Christo baptisato ad Iordanem, cœlum hiat, ac Pater de Filio clara voce clamat: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est. Filius ascendit ex flumine orans. Et Spiritus sanctus specie columbæ visibiliter è sublimi cœlo in Christum descendens, in eo manet. Hæc facta sunt, vt toti mundo per Ministerium verbi denunciarentur, omnesq; mortales hunc Deum cognoscerent & colerent, qui est Pater, Filius, & Spiritus sanctus.

60. Christo orante, Pater hanc vocem ædit: Et clarificauit, & clarificabo, Ioh: 12.

61. Nec ineptè apparitio trium virorum ad Abrahamã diuertentium, pro tribus diuinitatis personis intelligitur. Multa enim sunt in textu, quæ ostendunt, ipsum Deum hoc honoris Patriarchæ exhibuisse.

62. Tertio, idem appellatio illa Dei docet, quòd sæpe Elohim appelletur. vt Gen: 1. In principio creauit Elohim cœlum ac terram. Item. Et ait Elohim, faciamus hominem ad imaginem nostram. Consultat autem Deus non cum Angelis, sed Pater & Filius & Spiritus sanctus inter se. Nam ad Imaginem Dei, non Angelorum, facti sunt homines. Malach: 1. Si Dñs ego sum, vbi est honor meus?

B 2

Quarto,

63. Quarto, hanc doctrinam Ecclesie Christi doctores, aduersus hæreticos constanter ex fundamentis verbi diuini asseruerunt, ac posteritati reliquerunt, id quod præter ipsorum scripta, etiam multæ Synodi testantur, vt Nicena, Constantinopolitana, Toletanæ aliquot, & plures aliæ.

64. Sunt autem istæ tres diuinitatis personæ, non tantum appellationibus, verum realiter quoque distinctæ.

65. Nam Pater non est Filius, nec Filius est Pater, nec Spiritus sanctus est Pater vel Filius,

66. Alius igitur est Pater, vt ipse Christus Ioh: 5. affirmat, Alius est Filius, Alius est Spiritus sanctus, sed non ALIUD. Quia vox ALIUS, personas distinguit tantum, nec aliam Naturam constituit, quia vnicus duntaxat est Deus.

67. Pater est prima persona diuinitatis, non genita, nec procedens, sed gignens Filium vnicum ab æterno sibi coessentialem, & à qua, sicut & à Filio, procedit Spiritus sanctus. De opere creationis, deque missione Filij vnigeniti in hunc mundum, suo loco monebimus.

68. Filius est secunda persona diuinitatis, genita à patre ab æterno, & à qua sicut & à Patre procedit Spiritus sanctus. De eius personæ incarnatione postea dicendum erit.

69. Spiritus sanctus, est tertia persona diuinitatis, procedens à Patre & Filio. De eius officio quod sit gubernator Ministerij verbi diuini & Sacramentorum, suo loco.

70. Proprietates itaque incommunicabiles personarum diuinarum sunt, quod Pater gignit. Filius est genitus. Spiritus sanctus ab utroque procedit, etc. De officijs autem et externis patefactionibus singularum personarum suo loco.

Hæ

71. Hæ autem personæ, non sunt confundendæ. Non est enim tantum vnica Dei persona, sed tres sunt persone diuinitatis, vt Christus ipse nos docuit, Matth: 28.

72. Nec sunt illæ personæ segregandæ aut diuellendæ, quia non sunt tres peculiare aut distincti Dñ, aut tres separatæ Essentiæ diuinæ.

73. Sed hæ tres personæ, sunt vnicus & verus & idem ille Deus, quem tota sacra Scriptura prædicat, & qui ab omnibus hominibus cognosci & coli vult.

74. Nam extra illas tres personas, nullus alius Deus existit, nec fas est vllum Deum comminisci, qui non sit Pater, Filius, & Spiritus sanctus.

75. Et communia sunt hisce tribus personis, Essentia seu Natura diuina, æternitas, immensitas, omnipotentia, Maiestas.

76. Hinc omnes tres personæ sunt coessentialia, coæternæ, coomnipotentia.

77. Et nihil in hisce tribus personis diuinitatis, maius aut minus est, quia vnus idemq; Deus æternus sunt. 1. Iohan: 5.

78. Nihil igitur differunt Essentia, æternitate, & omnipotentia, sed tantum personis, proprietatibusq; personalibus, & deinde quibusdam ordinatis officijs iuxta patefactionem: vt, quod Pater misit Filium, Filius est missus in carnem, Spiritus sanctus arguit mundum.

79. Est quidem Pater Deus, Filius Deus, Spiritus sanctus Deus, sed tamen non tres Dñ sunt, Verum vnus idemq; verus Deus, seu vnica diuina essentia.

80. In verbis Baptismi sapienter & piè obseruarunt pñ, dici in Nomine tanquam in vno Deo, licet tres personæ nominentur, vt Ambrosius lib: 1. de Tri: inquit: In Nomine ait, non in Nominibus, vt vnitas essentiæ

ostendatur, per Nomina tria, quæ supposuit, tres esse personas declarauit.

81. Non itaq; personæ diuinitatis, quiddam sunt extra Essentiam diuinam. Sed illa ipsa vnica Dei essentia, est Pater, Filius & Spiritus sanctus. Neq; extra illas tres diuinitatis psonas, vlla prorsus fingēda est Dei Essentia.

82. Nec sunt hæ personæ, vel partes vel sectiones Dei, Sed vnica tantum indiuisa Dei Essentia.

83. Ex hac igitur doctrina, docendi gratia, sumpta est vox Trinitatis. Cùm enim Deus ipse tribus distinctis personis sese manifestet, et cùm Christus nos uelit in nomine Patris, ac Filij, & Spiritus sancti baptisari, cur non liceret sacram Triadem aut Trinitatem appellare?

84. Et sic locuti sunt antiqui doctores in Ecclesia Dei, vt ipsorum scripta manifestè testantur.

85. Fateor tamen, rei amplitudinem ista uoce satis exprimi non posse. Imò, agnosco nos de tantis rebus in hac nostra infirmitate saltem balbutire, sed balbutiendo tamen (vt Bernhardus inquit) Excelsa Dei resonare debemus. Quia Deus sese hominibus doctrina & patefactis onibus cognoscendū dedit, & vult vt de hoc Deo, quantum quidem se reuelauit, & cogitemus & loquamur, & gratias ei agamus, quòd in hac tenebrosa vita, istam nobis lucem tam benignè accendit & conseruat.

86. Sed hæc lucem inuidet hominibus Satan, ideo hæreticorum flatibus & tempestatibus, eam nobis obscurare & delere conatur, quibus quidem confessione veritatis, & oratione, constanter resistendum est.

89. Constat autem Sabellianos & Samosatēianos, miris calumnijs & mendacijs impugnasse trium personarum distinctionem, ac finxisse, tantum vnica esse personam, sicut Deus est tantum vnicus.

Hunc

90. Hunc autem Deum, aliàs vt Patrem, aliàs vt Filium, aliàs vt Spiritum sanctum se gessisse.
91. Finis horum omnium est, vt Filium Dei diuinitate spolient, & Spiritum sanctum quoq; extenuent.
92. Nam Satan in primis ardet implacabili odio aduersus Filium Dei, idq; non absq; causa, quia caput gestat ab eo fractum & contritum.
93. Sed graui iudicio Ecclesiæ Christi, eiusmodi blasphemix sunt damnatæ ac repressæ, vt Synodi Antiothænæ & aliæ testantur.
94. Iudæi quidem & Turcæ, hodie quoq; profitentur, sese vnicum Deum, conditorem cœli & terræ inuocare & colere. Sed quia non agnoscunt eum Deum, qui est Pater, Filius & Spiritus sanctus: Itaq; à vero Deo aberrant.
95. Nam immota est sententia: Non esse Deum, qui non sit Pater, Filius, & Spiritus sanctus.
96. Et Christus perspicuè inquit: Qui non honorat Filium, non honorat Patrem. Ioh: 5. Item: Qui videt me, videt Patrem. Item: Ego in Patre & Pater in me est, Ioh: 14.
97. Qui igitur Filium hunc cum Patre, & Spiritu sancto, non agnoscunt vnum & eundem esse Deum, ñ fingunt Idolum suis mentibus, quod reuera non est Deus.
98. Ac verè de eis pronunciat Christus Iohan: 4. Vos adoratis quod nescitis. Quid autem grauius dici potest?
99. Ecclesia itaq; Dei, suam inuocationem & confessionem, hac in parte procul discernit ab Ethnicorum, Turcarum, & cæcorum Iudæorum sententia de Deo.
100. Quia eum Deum colit ac veneratur, qui est Pater,
Filius

Filius & Spiritus sanctus, estq̄ vnus idemq̄ Deus, sicut
Verbum Dei, quod est lucerna hominum in tam subli-
mibus rebus, patefacit & tradit.

101. Falso itaq̄ & blasphemè docent Seruetiani &
Antitrinitarij, Vnum quidem esse verum Deum, Sed
Patrem, Filium & Spiritum sanctum, non esse vnum
illum & verum Deum.

102. Nam manifestum est, illum esse verum & vnicū
Deum, in cuius NOMINE baptisamur. Nam in ea re-
generatione, Deus nos acceptat in gratiam ex misericor-
dia, & nos vicissim sanctè obligamur, vt hunc Deum,
per quem & creati & renati sumus, cognoscamus, inuo-
cemus, & celebremus.

103. Sed baptisamur in NOMINE Patris, Filij &
Spiritus sancti. Hic audimus tres, nempe Patrem, Fi-
lium, & Spiritum sanctum, & tamen vnum est Nomen,
vna notitia, vna maiestas, vna dignitas horum trium.

104. Ergo Pater, Filius & Spiritus sanctus, est vnus
idemq̄ Deus. Sic præclare inquit Basilus. Baptisari
nos oportet, sicut accepimus, credere autem sicut baptis-
samur, glorificare autem sicut credimus, Patrem & Fi-
lium & Spiritum sanctum.

105. Et ille est Deus, qui ad Iordanem apparuit in voce
paterna, in specie columbæ, & Filio Dei. Nam Pater
se à Filio discernit, & Spiritus sanctus quoq̄ peculi-
ari specie sese reuelat.

106. Et Symbola Ecclesiæ idem perspicuè profitens-
tur. Nam omnes p̄ vnō ore profitentur, se credere in
vnum Deum, & mox subiungunt, in Patrem, in Filium,
& in Spiritum sanctum.

107. Fatentur autem Antitrinitarij, Esse tres, & alii
qui inter eos concedunt, esse tres personas, sed pernez-
gant.

gant eas coessentialia esse, pernegant, eas esse vnicum & eundem Deum.

108. Ratio eius rei est. Quia Filio Dei & Spiritui sancto, nefarie æternitatem derogant, vt in sequentibus disputationibus erit dicendum, Deo dante.

109. Et vocabulum personæ, non intelligunt vt Ecclesia, sed tantum pro externa Dei repræsentatione, vt in creatione, & postea.

110. Sed Iohannes discernit personas, & coæternitatem eis tribuit cum inquit, Logos erat in principio apud Deum, hoc est, antequam ille mundus crearetur, id est, ab æterno. Ioh: 1.

111. Et I. Iohan: 5. dicitur. Et hi tres VNVM sunt. Item, Christus inquit: Ego & Pater VNVM sumus. Vnum, scilicet Essentia. Sumus, scilicet personis.

112. Estq; vetus blasphemia Simonianorum, Sabellianorum, Samosatensianorum, & aliorum Hæreticorum, Vnam tantum esse personam vnici Dei, quæ sese interdum vt Patrem, interdum vt Filium, interdum vt Spiritum sanctum repræsentârit.

113. Fons rei est, quia ratio humana hoc Mysterium Essentiæ diuinæ, per se nequit capere, ideo extra & contra verbum Dei, eiusmodi nugas & blasphemias magna temeritate effutit.

114. Falsò & blasphemè docent Antitrinitarij, Patrem vnum & solum esse verum Deum, non Filium, non Spiritum sanctum. Contendunt enim, VNITATEM Dei ad solum Patrem referendam esse.

115. Atqui Filius Dei inquit, se & Patrem vnum esse. Ioh: 10. Se in Patre, & Patrem in se esse. Ioh: 14. Et Spiritus sanctus, Spiritus Patris & Filij dicitur. Ioh: 15. Gal: 1. Coæternitas & coessentialitas, Patri & Filio tribuitur, Io: 1. Et omnipotentia Io: 5. C Imò

116. Imò sine Filio, & sine Spiritu sancto, non est Deus Pater, vt sacræ literæ declarant.
117. Aliena, falsa & blasphema est interpretatio: dicta de Vnitate Dei, tantùm esse de Patre coelesti intelligenda, non de Filio quoq; & Spiritu sancto.
118. Nam hoc pacto euerterentur penitus multa illustria Scripturæ dicta, de diuinitate & æternitate Filij Dei & Spiritus sancti.
119. Delenda quoq; essent verba Baptismi, si non ille est Deus, qui est Pater, Filius & Spiritus sanctus. Nam in nullius creaturæ Nomine baptisari vel possumus, vel debemus.
120. Dicta igitur de VNITATE Dei, iuxta declarationem Scripturæ, & illustres patefactiones, in quibus tres distinctæ diuinitatis personæ apparuerunt, intelligendæ sunt, & non aliter, nempe, quòd tres personæ comprehendantur vnitate Dei.
121. Falsum & hoc est; Vnitatem Dei, non respectu Essentiæ, sed respectu Monarchiæ, authoritatis, dignitatis, & summæ potestatis Patris dici.
122. Nam Pater non est absq; Filio, sicut Ioh; 1. dicitur, Vnigenitus qui est in sinu Patris. Item Ioh; 10. Ego & Pater vnum sumus. Item Ioh; 5. Pater vsq; modò operatur, & ego operor.
123. Nulla igitur in Deo Monarchia est fingenda, extra Filium Dei & Spiritum sanctum.
124. Præterea, quando sacræ literæ de vnitate Dei loquuntur, Verbum EST aut SVM ponitur, quod Essentiam designat.
125. Non igitur quid garriant isti præstigiatores, sed quid verbum Dei doceat, in vero timore Dei spectandum & obseruandum est.

Aliud

126. Aliud verò est loqui de ordine reuelationis in Verbo Dei annotato, aliud de figmento istorum fanaticorum & blasphemorum hominum.

127. Allegant Antitrinitarij hoc dictum Christi, Ioh: 17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Ergo, inquit, solus Pater est verus et vnicus Deus, non Filius, non Spiritus sanctus.

128. Sed est calumnia. Nam primùm, Christus nõ hæc retractat doctrinam suam de tribus personis diuinitatis, quam toties repetierat. Nam dixerat se in Patre esse, & Patrem et se vnum esse. Item, Spiritum se à Patre missurum. Imo post resurrectionẽ in opere regenerationis, Nomen Patris, Filij & Spiritus sancti coniungit.

129. Deinde, hoc ipso loco in donatione vitæ æternæ, quod idem opus Deitatis est, se & Patrem coniungit.

130. Tertio, ista constructio huius sententiæ analogæ fidei est, te Patrem, & quem misisti Iesum Christum, cognoscere solum Deum verum esse, est vita æterna. Sic Augustinus ante nos verba ista intellexit.

131. Nam vnicus & verus Deus, est Pater & Filius et Spiritus sanctus, sicut verbum Dei irrefragabiliter docet, & tota Ecclesia Dei confitetur. Et præclare addit Augustinus eodem loco. Cõsequenter enim & Spiritus sanctus intelligitur, quia Spiritus est Patris & Filij, tanquam charitas substantialis, & consubstantialis amborum, quoniam non duo Dñi Pater & Filius, nec tres Dñi Pater & Filius & Spiritus sanctus, Sed ipsa Trinitas vnus solus verus Deus. Nec idem tamen Pater, qui Filius, nec idem Filius qui Pater, nec idẽ Spiritus sanctus, qui Pater & Filius, quoniam tres sunt, Pater & Filius & Spiritus sanctus, Sed ipsa Trinitas vnus est Deus. Hæc ille.

C 2

Quarto,

132. Quarto, Cyrillus in explicatione huius loci inquit. Multi creaturam prætermisso creatore coluerunt, nec ueriti sunt ligno dicere: Pater meus es tu: Lapidi tu genuisti me. Quas ob res patrem à falsis, & solo nomine Dñs distinguens, solum verumq; Deum appellat.

133. Deinde atris maculis Antitrinitarñ Patres conspergunt, quasi & illi solum Patrem professi sint verum Deum, excluso Filio & Spiritu sancto.

134. Nam etsi contra gentiles pugnantes, Patrem dixerunt verum Deum, tamen hanc doctrinam constanter tutati sunt, vnum esse Deum, & tres distinctas diuinitatis personas.

Ignatius inquit ad Philadel: Vnus est ingenitus Deus Pater, & vnus vnigenitus Filius, Deus verbum et homo, & vnus Paracletus Spiritus sanctus.

Iustinus de Tri: Vnus est verus vniuersorū Deus, qui in Patre, Filio, sanctoq; Spiritu agnoscitur.

Clemens lib. 3. pædag. Laudemus vnum Patrem & Filium, vnà cum sancto Spiritu, qui vnus est omnia.

Tertul. aduersus Praxæam. *ὁμολογία* Sacramentum, quæ vnitatem in Trinitatem disponit, his dirigens Patrem & Filium & Spiritum sanctum.

Epipha: lib: 2. Cōfitemur Trinitatem. Vnitatem in trinitate, & trinitatem in vnitatem.

Augustinus lib: 1. de tri: cap. 4. OMNES quos legere potui qui ANTE ME scripserunt, etc. hoc intenderunt secundum Scripturas dicere, quòd Pater & Filius & Spiritus sanctus, vnus eiusdemq; substantiæ, inseparabili æqualitate, diuinam insinuant vnitatem.

Cyrillus contra Iulia: lib: 4. Non ignorauit Moses, quòd Deus vnus, hoc est, vnà Deitatis natura, cum sancta et consubstantiali trinitate adoratur, nempe in Patre & Filio & Spiritu sancto, Sed

135. Sed nemini ignotum est, Patres legenti, reliquos etiam omnes, sanctè hanc doctrinam ad posteritatem tradidisse, & hæreticos, trinitatem in vnitatem impugnantes, acriter refutasse.

136. Impia & blasphema est & hæc doctrina Antitrinitariorum, quòd dicunt: Nullum esse reale discrimen personarum diuinarum.

137. Nam quia Filium & Spiritum sanctum, ex vnitatem Dei contumeliosè exturbant, ideo & trinitatem personarum, & vnitatem in Essentia, sceleratè abhincunt & damnant.

138. Sed vt spiritus vertiginis magis conspiciatur, aiunt, se personale discrimen non tollere, sed reale.

139. Filium autem & Spiritum sanctum, nolunt esse personas diuinitatis, *ὁμοούσιος* Patri.

140. Extra vnitatem igitur Dei, hæc duas personas constituunt.

141. Sic igitur reale discrimen inter personas diuinitatis *ὁμοούσιος*, exterminant.

142. Et vt vanitas atq; impietas istorum hæreticorum, multis in rebus appareat, non uerentur scribere, Turcas, Iudæos, Philosophos, semper vnum verum Deum cognouisse.

143. Item. Si vnum duntaxat Patrem Deum profiteremur non Filium, non Spiritum sanctum, fore, vt Turcæ & Iudæi conuerterentur ad Christi Ecclesiam.

144. Inde etiam nonnulli ex Antitrinitarijs, ad Turcicam religionem, sine omni fronte & corde accesserunt.

145. Hæc sunt prorsus Diabolica, quibus non tantùm vera Dei Ecclesia, lucem ueræ Dei notitiæ verbo diuino traditam, maximi faciens, sed ipse quoq; Deus, summa ignominia afficitur.

146. Hoc nimirum quærit Satan, ut homines Epicu-
reis furoribus dementati & oppressi, omnes Religiones
pro vna eademq; habeant.

147. Gloriabatur miser ille Gentilis, sese pro Emi-
nentia patris fieri Martyrem. Sed non est honore debi-
to, sed ignominia potius horribili afficere Patrem,
quando ipse solus fingitur Deus, absq; Filio & Spiritu
sancto.

148. Nam Pater cœlestis, suum vnigenitum Filium
non vult à se diuelli.

149. Hæc autem Eminentia summa Patris est, quam
& nos credimus & celebramus, quod Pater genuit Fi-
lium vnigenitum ab æterno, Filius est genitus à Patre
ab æterno, & Spiritus sanctus à Patre Filioq; procedit.
Pater misit Filium in mundum. Filius est missus.

150. Quando verò de vna & eadem Essentia diuina
dicitur, par est Eminentia, Maiestas, dignitas, potestas,
Patris, Filij & Spiritus sancti, quia hi tres V N V M
sunt.

151. Postremò conuicia horrenda, ad quæ omnium
sanorum, nedum piorum pectora exhorrescunt & con-
tremiscunt, spiritum erroneum & maledicum in Anti-
trinitarijs manifestè prodit. Nam horribiliter clami-
tant, Antichristi esse commentum, Deum esse vnum Es-
sentia, trinum personis. Esse triplicem Cerberum. Esse
Deum trinomium, tripersonatum. Esse Deum Baal,
Moloch &c.

152. Vanissimè insuper iactitant Antitrinitarij, Lu-
therum vix tectum Babylonicæ turris detexisse, Se ve-
rò ex imis fundamentis eam excindere.

153. Verùm impostores isti, summa capita doctrinæ
cœlestis deprauant, ipsum Deum contumeliu afficiunt,
Ecclesiam

Ecclesiam Christi turbant, lacerant, dedecorant, dicta
sacræ Scripturæ petulanter deprauant. Testimonia
Ecclesiæ rectè sentientis reiiciunt & exhibilant, omnes
monitiones Ecclesiæ Dei superbè repudiant, ac sunt
reuera syluestri apri, vineam Domini impuris rostris
vastantes, lupi grassantes in ouile Christi, fures, latro-
nes, pestes, Anathemata, quæ quidem omnes timentes
Deum vitare, fugere, execrari tenentur, iuxta præce-
ptum diuinum, Galat: 1. Tit: 2. Nec dubium est, quin
Deus istos blasphemos homines oderit, & puniturus
sit, tum in hac vita, tum in æternum, nisi egerint poen-
itentiam.

De æterna diuinitate Filii Dei, & Spiritus
sancti, in sequentibus disputationibus,
Deo dante conferemus,



Eccliam Christi tenent, lacrimis, delectant, dicit
lucis scripturas peritantes deponant. Testimonis
Eccliam tota laetitia respicit & exhibent, omnes
monitiones, et illa laetitia respicit, se laet
tenent, et illa laetitia respicit, se laet
varietate, et illa laetitia respicit, se laet
na, bestia, animalia, que quidem omnes tenent
Deum vitam, suam, carere, tenent, inna, prae
primi, dicit, et illa laetitia respicit, se laet
in illa laetitia, et illa laetitia respicit, se laet
in illa laetitia, et illa laetitia respicit, se laet

De vita divina, et illa laetitia respicit, se laet
in illa laetitia, et illa laetitia respicit, se laet









DE DEO,
VNO ESSENTIA,
TRINO PERSONIS.

CONTRA
ANTITRINITARIOS
PROPOSITIONES.

D. IOHAN: WIGANDI.

De quibus Deo dante, disputabitur in
Academia Regiomontana vndeci-
mo die Februarij, Anno
Domini 1575.

REGIOMONTI BORVSSIAE
typis heredum Ioannis Daubmanni.

